



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Dub. VI. Quæ forma consecrationis Eucharistiæ?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

tionem autem nullo modo sunt abstergenda.
 Qui ante consecrationem ita statueret, nolo con-
 secrare hostias appositas, nisi tempore consecra-
 tionis, vel saltem oblationis fuero memor.
Præp. hic a. 2. d. 3. Laym. l. c. et si Tambur de expi-
sacris. c. 1 §. 3. eo casu nullum peccatum agnoscit.

DUBIUM VI.

Quæ forma consecrationis Eucharistia?

Resp. Est duplex, una panis, & est hæc: *Hoc est enim corpus meum.* Ubi omnia sunt de essentia præter Tò enim, cujus ommissio esset veniale. Altera vini, & est hæc: *Hic est enim calix sanguinis mei, novi & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis, effundetur, in remissionem peccatorum.* Ubi et si verior & communior sit sententia S. Bonav. Suar. Bellarm. & aliorum, contra S. Thom & Thomist. quod essentialiter sint tantum hæc: *Hic est calix sanguinis mei (vel hic est sanguis meus,* aut eis æquivalentia) graver tamen peccaret, qui aliqua ex reliquis committeret, vel mutaret. Debent autem formæ præferri persona Christi, formaliter & significative, sive assertive, & non tantum recitative, sive historice, licet ea, quæ in Canone præcedunt, dicantur tantum recitative seu historice. v. *Laym c. 3. Bon. q. 1. p. 2. Card. de Lugo d. 11. f. 5.* Unde resolves.

I. Valida, sed illicita est consecratio. i. Si consecrans dicat: *Hic cibus, hic potus, hic calix, vel hæc res, vel contentum sub his speciebus, est corpus*

corpus meum, vel sanguis meus. *Bonac. l.c. pag. 1.*
2. Si dicat: Hic calix est novum testamentum in
sanguine meo, ut habet *S. Lucas cap. 22.* 3. Hoc
est corpus meum, quod de Virgine sumpsi; hic est
sanguis meus infiniti valoris. 4. Hoc est meum
corpus; hic meus est sanguis; vel hoc est sanguis
meus. Ratio horum, quia manet idem sensus,
nec fit mutatio substantialis. *Bonac. l.c.*

II. Invalida erit consecratio, si dicas: *Hic* (ad-
verbialiter) est corpus meum. Si autem *Tò Hic*
ponatur masculine, pro neutro, valet, etsi non se-
cundum grammaticam. *Escob. Granadus. 2.*
Hoc corpus est meum, hic sanguis est meus.
Fagund. p. 3. q. 78. c. 2. 3. Ecce Corpus meum;
Ecce Sanguis meus. 4. Hoc fit, vel hoc fit Cor-
pus meum; vel hic panis convertitur in Corpus
meum; vel hic ponitur Corpus meum. 5. Illud
est Corpus meum, ille est Sanguis meus. 6. Hoc
est substantia mea, ubi hoc est Corpus Christi
Bon. l.c. p. 3.

III. Dubia erit consecratio, 1. Illud est Cor-
pus meum; iste est Sanguis meus. 2. Hæc est ca-
ro mea: quam tamen *Laym.* contra *Con.* putat
valere. 3. Secundum quosdam, forma ex *S. Luce*
ca primo casu allata, *v. Bon. q. 3. p. 1. & 2.*

Regin. l. 29. n. 33.